

neque assumtio indigeat approbationis, hujusmodi; ut certum quiddam, et breve, exempli causa, ponamus: *Si summo opere sapientia petenda est, summo opere stultitia vitanda est: summo autem opere sapientia petenda est; summo igitur opere stultitia vitanda est.* Hic et assumtio, et propositio perspicua est. Quare neutra quoque indiget approbatione. Ex hisce omnibus illud perspicuum est, approbationem tum adjungi, tum non adjungi. Ex quo cognoscitur, neque in assumptione contineri approbationem, sed utramque suo loco positam, vim suam, tanquam certam et propriam, obtinere. Quodsi ita est; commode partiti sunt illi, qui in quinque partes distribuerunt argumentationem.

Quinque sunt igitur partes ejus argumentationis, quae per ratiocinationem tractatur: *Propositio*, per quam locus is breviter exponitur, ex quo vis omnis oportet emanet ratiocinationis; *Propositionis approbatio*, per quam id, quod breviter expositum est, rationibus affirmatum probabilius et apertius fit: *Assumptio*, per quam id, quod ex propositione ad ostendendum pertinet, assumitur; *Assumptionis approbatio*, per quam id, quod assumptum est, rationibus firmatur: *Complexio*, per quam id, quod conficitur ex omni argumentatione, breviter exponitur. Quae plurimas habet argumentatio partes, et constat ex his quinque partibus: secunda est quadripartita: tertia tripartita. Dein bipartita: quod in controversia est. De una quoque parte potest alicui videri posse consistere. Eorum igitur, quae constant, exempla ponemus: horum, quae dubia sunt, rationes afferemus.

Cap. XXXVIII. Quinquepartita argumentatio est hujusmodi: *Omnes leges, judices, ad commodum reipublicae referre oportet, et eas ex utilitate communi, non ex scriptione, quae in litteris est, interpretari. Ea enim virtute et sapientia majores nostri fuerunt, ut in legibus scribendis nihil sibi aliud, nisi salutem atque utilitatem rei publicae proponerent. Neque enim ipsi, quod obsesset, scribere volebant; et, si*